

dum docendi artem quamcunq; esse triplicem, νομικὸν, πει- dendi disci-  
ραδειγματικὸν, ἀποδεικτικὸν. Modus νομικὸς absolvitur præ- plir. as tri-  
ceptis & regulis, quibus exempla subjicienda, tanquam plex.  
ὄμηροι, ut Plato ait, τῶν λόγων, vades & obsides, vel etiam,  
ut nonnemo dici, vates & interpretes, *præceptorum*, & regu-  
larum, qui est modus παραδειγματικός. Quia verò subinde  
dubia quædam suboriuntur ex præceptis & regulis, modus  
ἀποδεικτικός necessariò fuerit addendus, qui contineat di-  
dactica & elenctica simul. Utrumque hoc axioma in con-  
stitutione Logices observabimus, & ipsius naturam atque  
studium præcognoscemus è definitione & distributione e-  
jusdem. Definitionem dedimus istam: *Logica est ars mo-  
dum benè disferendi tradens.* Hanc ut intelligamus, paucu-  
la axiomata de definito, genere, & differentiâ colligemus.

I Logica dicta est à Græco λόγος; aliàs Dia-  
lectica.

Logica un-  
de dicta?

Vox *Logica* est adjectiva, ut & reliqua disciplinarum de-  
finita; sed usurpatur substantivè. *Crell. cap. i. isag. Log.* vel po-  
tius ἐκπειλικώς, ita ut subintelligatur substantivum τέχνη.  
Dicta est à voce λόγος, qui duplex, ὁ ἔσω, καὶ ὁ ἔξω. Ille aliàs  
dicitur ἐνδιάθετος & πρὸς ἑαυτὸν, iste πρὸς ἄλλους & πρὸς  
ἕτερον. Utriusq; ars est Logica, rationis primariò seu prin-  
cipaliter, orationis secundariò seu minùs principaliter, qua-  
tenus verba habent rationem thematis, & illorum notatio  
Logica inquiritur. Unde *Augustinus lib. de principiis Diale-  
lecticæ cap. 3. & 8.* ait: *Dialecticus disponit de verbis, prout  
ad intellectum referuntur.* Præterea hæc eadem vox est am-  
bigua. Interdum enim pro naturali Logicâ sumitur, *Arist. i.*  
*Sophist. elench. cap. ii.* interdum pro artificiali. Et hoc modo  
sumitur vel largè pro quâvis arte dicendi, quo sensu Gram-  
matica & Rhetorica in Logicis artibus numerantur; vel stri-  
ctè, pro benè disferendi arte. Et sic iterum sumitur duobus  
modis; nunc pro Systemate Logico, nunc pro habitu. Nos  
hoc in loco usurpamus in eâ significatione, quâ Systema  
methodicum indigitatur; quod alii vocant Logicam syste-  
maticam, quæ dicitur ἀρχετυπα, quatenus habitus Logi-  
cus, seu quod idem est, Logica habitualis per Systematis Lo-  
gici cognitionem & exercitationem acquiritur; unde homo

Vocabulum  
Logica est  
ambiguum.